

8402

PROPOSITIONES LEGALES

Ex

L. De his controuersijs. 6. L. Cum hi. 8. ff. de
Transact. L. De Alimentis. 8. C. eod. tit. ibi-
demq; ab Interpretibus, notatis,

DE TRANSACTIONE
CAVSSARVM TESTAMENTARIA-
RVM, ET ALIMENTORVM LEGITIMA,

Quas

1598

FAVENTE S.S. TRIADE,

Adprobatione Procerum Academicorum praeuiâ,
Sub praesidio


AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, AT-
QUE EXCELLENTISS. VIRI,

Dn. FRANCISCI ROMANI,
V. I. DOCTORIS, ET IN FLOREN-
tiss. Lipsensium Academiae Profefs. Publ.

Domini, & Mecenatis sui reuerenter colendi,

3. Non. Februar. hora 7. in aulae Ictorum, publi-
co examini subijciet

IACOBVS ALEMANS
MAGDEBURGENSIS.



Michael Lantzenberger excudebat Anno 1598.

M
4
/

2 1/2

31.


REVERENDISSIMO,
ILLVSTRISSIMO, POTENTIS-
simo, & Generosiss. Principi, ac Domino,
DN.

HENRICO IVLIO,
EPISCOPO HALBERSTA-
DENSI, DUCI BRUNOVICENSI,
ac Lunæburgensi, &c.

Domino suo Clementissimo,

*Disputationem hanc Iuridicam in æviter-
num humilima subiectionis monumen-
tum inscribit, & deuotissime
offert*

IACOBVS ALEMANS
MAGDEBURGENSIS.



D. O. M. A.

PROPOSITIONVM LEGALIVM

Ex

L. De his controuersijs. 6. l. Cum hi. 8. ff. de Transact.
1. De alimentis. 8. C. eod. tit. ibidemque ab In-
terpretibus Iuris, notatis, desumptarum

PRIMA.

Rectissime veteres, non *πάρεργα*, & futilia, sed
utilia, cum ars longa, vita econtra hominis
angustis conclusa sit limitibus, & ne, necessaria
nos ignorare, quod non necessaria didicerimus, iure no-
bis obijci queat, esse tractanda, censuere.

II.

Moniti ergo à sapientissimâ antiquitate, relictis
materiarum Iuris, quæ à foro nostro recesserunt, plus in-
quirenti difficultatis, quàm utilitatis allaturis, tricis, no-
bilissima, & famosissima Gay, & Ulpiani Ictorum, cum
laudatissimi Imp. Gordiani rescripto, locis supra dictis
collocata, *IEHOVA AVSPICE, ἀναλυτικῶς, καὶ Ἀγρυ-
πῶς* succinctâ, enodanda suscipiemus.

III.

Agitur autem in illis, quatenus, & qualiter trans-
actio super controuersis ex testamentariâ caussa descen-
dentibus, & alimentis supremâ voluntate relictis, inter-
posita, vi, atq; robore suo consistat.

IV.

Et quidem prioris thematis, quare singulari omninò
modo in transactione controuersiarum voto supremo ori-
undarum, procedendum sit, rationem I. C. Gaius propo-
nit: *Neg; enim, inquit, sine Iudice transigi, neg; apud Iu-
dicem*

A 2

dicem

dicem veritas de istiusmodi controuersis, quam inspectis
cognitisq; testamenti verbis, exquiri potest.

V.

Hinc etiam, ut facilius tum voti ultimi explican-
di, tum transactionis instituenda locus superesset, Prator
omnibus, quicunq; tabulas testamenti, vel suo, vel alieno
nomine describere desiderant, despiciendi, transferendiq;
exempli, se potestatem edicto facturum, pollicetur.

VI.

Ceterum quando sacratissimus Imp. Iustinianus, te-
stamentum iure civili perfectum, si quis coram septem te-
stibus, omni exceptione maioribus, suam nuncupet volun-
tatem, constitui, sanxit, in disquisitionem haud sine caus-
sa venit: Vtrum de tali quoq; testamento, quod ἀγαθὸν
dicere solemus, edictum Pratoris sit exaudiendum?

VII.

Enimvero si quis verba Pratoris edicentis ἀνεγείνων
attendat, & ponderet, illa de testamenti genere ἐψηλάφη
solum accipi debere, & posse, confestim deprehendet. Nec
enim inspicere, & describi potest, nisi quod prius scriptis fue-
rit comprehensum.

VIII.

Contrarium tamen dicendum existimamus, si testa-
mentum per nuncupationem factum, in scripturam ex in-
teruallo coniiciatur, nec de illo aliunde transigentibus
constet. Quamvis enim, docente Gaio, scriptura, ut
quod actum est, facilius probari possit, licet sine ijs, quod
legitimè gestum proponitur, per se valeat, subsistatq;
conciantur: Attamen & tum edicto pratorio locum fo-
re, rationi consentaneum videtur.

IX.

Porrò non solum transacturos, ut prius testamenti te-
norem, apertis iuxta edicti formã tabulis, inquireant: Sed
etiam

etiam ipsum Iudicem Prætor iurisdictione sua constringit,
eiusq; officio mandat, ut antè rei in controuersiam vo-
catæ sententiam quàm concipiat, ferat, primò omnium
testatoris mentem cognoscere habeat: Rationem supra
notauius.

X.

De controuersijs testamentarijs quod diximus, num-
quid ad illas, quæ ex codicillis, legatis, donationibus caus-
sâ mortis, fideicommissis etc. in scriptis fortè factis, pro-
ficiscuntur, ad commodare fas sit? dubium fertur. Re-
spondendum videtur cùm Grat. Valent. & Theodosio Im-
peratoribus, Codicillos, seu scripturam quolibet tenore
formatam, eâ, quâ testamta panduntur, obseruantia
in publicum proferrî oportere.

XI.

Cognitio verò verborum testamenti adeò est necessa-
ria, ut partes transactionem in iura eam sibi inuicem re-
mittere, siue ei renunciare nequeant. Satis enim absonum,
& ἀλογον esset, priuatorum pactioibus ius publicum
submoueri.

XII.

At si conuentio illarum, de non inspiciendis testa-
menti verbis, nec remissione alimentorum (de quibus post
dicendi locus erit) impugnanda, fuerit iurata, meritò sen-
tentie Interpretum Διοφάντη, transactionem esse ser-
uandam, cùm Didac. Couarruuiâ, Iasone, & Seraphi-
no de Seraphinis, contra Bartolum, Baldum, Ioh. Bapt.
Pontanum, Vitalem de Cambanis, Celsum Hugonem Ca-
billionensem, & Cordubam de Lara, post discussas probè
illorum rationes, subscribimus.

XIII.

Reiectâ restrictione Imole, Alciati, & Ioh. Petri
Surdi, prædicta vera esse, existimantium, nisi transacti-
onem iuramento obfirmans, extremam illius occasione in-
currat egestatem; tum enim absolutionem præstiti iuris iu-

A 3

randi

ranai posse interpretari. Etenim iuramentum de firmitate
transactionis non sumendum esse ex casibus, qui post in-
terpositam iuramenti religionem, non nat' autò, sed
συνεχῶς, interueniunt, nemo non sanà mente predi-
tus nobis elargitur.

XIV.

Nec hoc loco Iasoni, & Fortunio Garcia Hispano
concedere possumus, contendentibus, quod, si iurisiurandi
religio, tum transactioni, tum reliquis iure civili impro-
batis contractibus accedat, illa quidem, non aequè con-
tractus ipse, qui plus virium, antè quàm habuerit, ex
prestato iuramento nullatenus adsumserit, seruari dica-
tur. Quin potius tam iuramentum, quàm, qui illius
interuentu firmatus fuit, contractum esse custodiendum,
cum D. Dauthio, nec non And. Fachineo, &, quos ipsi
auctores suos laudant, alijs, arbitramur.

XV.

Quae nostra opinio summam prae se fert rationem, sci-
licet ob virtutem obligationis quasi cum ipso DEO contra-
cta, ut votum, quod prestiterimus, soluamus. Et Ca-
nonistae dicunt, omne iuramentum, quod non verserit in sa-
lutis aeternae dispendium (quale nostrum, de quo agimus,
dubio procul est) unice esse seruandum.

XVI.

Et haec tum maximè, quando iuramentum contra-
ctui, iure positivo, seu lege civili, cuius generis conventio-
nibus transactio adnumeratur, interdicto iungitur: non
item, si συνάλλαγμα aliquod iniri, legibus vel natura,
vel diuinis prohibeatur, procedunt. Posterius enim si
evincatur, tantum abest, ut contractus inualidus iura-
mento vires nouas acquirat, ut nec iurisiurandi, monen-
te Isidoro, vlla sit observantia.

Haec

XVII.

Haecenus de transactione controversiarum testamentariarum: iam ad illam, quae de alimentis, tam olim, quam, praesenti die, ex causa ultima voluntatis debitis, itidemque futuris, agit, digredimur.

XVIII.

Notandum autem prius, cum cognitis principijs, principiatorum facilius sit dyndicatio, quid sub appellatione alimentorum, seu victus (horum enim legata à I. C. Paulo adequata legimus) contineatur: Videlicet, quae esui, potuique, cultuique corporis, quaeque ad viuendum homini necessaria sunt, & cetera, quibus tuendi, curandique corporis nostri gratia utimur.

XIX.

Ad animi, hoc est, liberalium artium institutionem eiusmodi legatum tum demum cum Vitale de Cambanis, & Steph. Forcatulo referimus, si de illa fuisse cogitatum, ex mente, & voluntate testatoris, eiusdemque erga alimentarium adfectione beneuola, ex legatarij conditione, vel denique alijs circumstantijs, coniecturisue, colligi possit.

XX.

Habitationem, & vestiariam relictis alimentis deberi, contra Vallam censemus. Nec quicquam facit, quod, Vlpiano teste, transactione de alimentis instituta, nec de habitatione, nec de vestiario videri transactum, explorati iuris sit. Nam longè alia responsi ratio est. Quam ergo, inquires, decisionis adsignemus? Num illam, quasi vestiarium, & habitatio, tanquam species, sub alimentis, utpote suo genere, non comprehendantur?

XXI.

Non utique: Longè veriore putamus, illam nempe, quod Diuus Marcus oratione sua fauore alimentorum obtinuerit, ne generalis ad excludendam vestiarij, & habitationis.

rationis praestationem sufficeret, sed specialis, in negotio transactionis, illorum requireretur renuntiatio. Scimus autem ex doctrinâ Vlpiani, ubi quid specialiter exprimi flagitatur, non sufficere, si generaliter de eo fuerit dictum, actumue. XXII.

De Pharmacis, siue antidotis procurandis, subministrandisq̄, ne idem, relictis nimirum alimentis ea deberi, cum Nicol. Reusnero, Emanuel. Soarez, Pet. Rebuffo, & communi interpretum scholâ, statuamus, scrupulum, Icti. Vlpianus, & Paulus inijcere videntur. Verumtamen ut ἐμπόδιον istud removeamus, & commodâ, atque amicâ ratione eos nobis conciliemus, nostraq̄, sententia faventes, atq̄, annuentes reddamus, adnitemur.

XXIII.

Exhibitionem ministerij legatum alimentorum inducere putamus, si is sit alimentarij status, ut eo, nisi honestatis rationem flocci facere maluerit, carere nequeat. Nec enim legatarius legatum capere posse existimandus est, si honore, dignitate, atq̄, existimatione suâ salvâ, non possit.

XXIV.

Commemoravi, quid alimentorum adpellatione contineatur: De transactione consequenter illorum, effatum νεφέλαιον tale subijcio: Transactionem de alimentis, voto supremo debitis, Praetore non auctore, cuius pro utilitate alimentarij, consultandi erit arbitrium, interpositam, nullius esse momenti.

XXV.

Illius autem iuris constituendi ἀφορμὴ Imper. Marcus Antoninus, quem Diui, nec non Philosophi pientissimi nomine vulgò insigniuere, dedit, quando hac de re coram Senatu Romano orationem habuit, quâ etiam, ut ἀεὶ ἀλάττωτα istud Patrum conscriptorum votis comprobaretur, deq̄, illo consultum Senatus promulgaretur, obtinuit.

Ratio-

XXVI.

Rationem, quam sibi Imperator ab oculis propositam habuerit, indicat Vlpianus, ne scilicet, quibus alimenta per testamentum relicta sunt, contenti modico presenti, transactioni nimis inconsideratè studerent, atq; ita inopia, atq; infortunij sui, ipsi auctores extarent.

XXVII.

Cum enim futura in contingenti sint posita, seq; ad esse, & non esse, ut loqui solent, habeant, modica presentia maiori quantitati, & summa, vel alij cuiuslibet rei in futurum praestanda, praefere consuevimus. Hinc enatum fuit Doctorem brocardicum, tam, verba si spectes, nonnihil absonum, quam, si sensum, longè verissimum: Ad praesens ova, cras pullis sunt meliora.

XXVIII.

Rationi D. Marci, quae alimentarij fauorem praecipuè attendit, eiusq; rationem ducit summam, alteram cum Franc. Duareno contra Dionys. Gothofredum, non immeritò iungimus: Vltimarum nempe voluntatum fauorem, cum Rei intersit publica, illas effectum sortiri, & ratum esse, licitumq;, quod redire nequit, testatoris arbitrium, elogiumq; postremum.

XXIX.

Ex priori autem effulget, Patrum consultum non referendum ad alimenta praeterita. Cessat enim in illis ratio, quae est, ne alimentarius modicâ re presenti, loco maioris, cuius dies, exactâ demum praestituti temporis periodo, venit, contentus, transactioni facile incumbat, egestatemq; improvidus incurrat: Quocircâ & dispositio ipsa.

XXX.

Porrò αὐθεντία αὐτοῦ αὐθεντίας locum sibi vendicabit, si alimenta de praedijs, hoc est, à re relinquuntur, nec non, si de vestiario, calciario, aut habitatione transigatur:

B

gatur:

gatur : Etenim, quod generis, idem hoc loci & specie-
rum iudicium est.

XXXI.

Nec intereēt, siue alimenta alterutro testamenti ge-
nere: Codicillis testamento additis, vel ab intestato factis,
fideicommissis, siue deniq; donatione causā mortis, vel ab
eo, cui tali modo fuerat donatum, tam purè, quàm sub
quacung; honestā conditione, relicta proponantur.

XXXII.

Ceterum quando ex iure nostro constat, non tam in-
ordinatione supremae nostrae voluntatis, quàm extra eam,
donationes, quas causā mortis dicunt, posse celebrari, &
illas quidem, has non aequè, si Marciano credimus, ulti-
mis voluntatibus adnumerari; Questionis est: Vtrum ad
posterius quoq; donationū causā mortis genus, Senatus-
consultum sit referendum?

XXXIII.

Sanè olim inter prudentes, *ἁπορίων*, numquid præ-
dictæ donationes ad exemplum legatorum redigi possent,
extitisse, fatemur. Verum, cum à sacratissimo Imperato-
re, ut omnes effectus ultimarum voluntatum, ex nullā
penitus parte his absimiles, omnes mortis causā donatio-
nes sortirentur, nouissimè deprehendamus constitutum,
huc indistinctim *SCtum* ad commodandum, κατὰ γὰρ ἡπίκωσ
dixerimus.

XXXIV.

Pactō tamen gratuito, transactionem sine arbitratis
Prætoris posse fieri, & alimenta remitti, post Albericum
de Rosate, Iasonem de Mayno, & Raphaëlem Fulgosium,
Steph. Forcatulus, & Hugo Donellus adserere non dubi-
tauere. Num verò illorum sententia quis tutò insistere pos-
sit, amplius cum Bartolo, & Iac. Cujacio videbimus.

XXXV.

His consequens est, transactionem de alimentis, que

non prædictis ordine modis: verùm quacung, aliã ratione,
forsan contractu, debentur, inconsulto Prætorè factam
non improbari.

XXXVI.

Diversitatis ratio, quare de alimentis contractu pro-
missis, non itidem interueniente testamenti, aliussue vlti-
mæ voluntatis negotio, transactio, inconsulto Prætorè,
valeat, tum in vltimarum voluntatum exequendarum,
tum alimentarij, fauore, qui priori non similiter, ut po-
steriori casu, iunctim in considerationem venit, consistit.

XXXVII.

Porro, inquit Vlpianus, Oratio D. Marci locum
habebit, si in dies, menses, aut annos, nec non si perpe-
tuò, hoc est, ad alimentarij vsq, vitam, vel ad annos vite
ipsius certos, alimenta vltimã voluntate fuerint adsi-
gnata.

XXXVIII.

Hic ἐξωθεν, καὶ παρόδω, tanquam ἀξιωματικόν, notandum, quod, si legatum alimentorum fuerit annu-
um, & legatarius sub initio anni, rebus humanis exima-
tur, illud ad heredem transmittat. Est enim considera-
tione istius anni initia, purum: subsequentiũ verò, con-
ditionale, nec transmissibile: Vti summã cum ratione,
summo equè cum iudicio Paulus ex sententiã Sabini scri-
ptum reliquit.

XXXIX.

Nec cessabit consultum Senatus, si certa quantitas
alicui, legati nomine, hoc fine, atq, omine, ut legatarius
ex usuris, quantitate istã fœnore locatã, provenientibus,
exhiberetur, eiq, denato capitalis summa heredi restitue-
retur, fuerit adscripta. Idemq, est, si ab hoc legatario,
tertio cuidam alimenta rursũ, per fidei commissum re-
linquantur.

B 2

Planè

XL.

Planè, quandoquidem inter omnes constat, Orationem numquam satis laudati Imperatoris Antonini, hoc sine fuisse conceptam, ne alimenta, parùm suis rebus consulenti, & prospicienti alimentario, dolosè interciperentur, indubium est, transactionem, si alimentarius conditionem suam reddiderit meliorem, sine decreto factam, ferri.

XLI.

Exempla accipe: Si forsan alimentarius, ut, quod per singulos annos, menses, & in fine anni præstandum erat relictum: per singulos menses, dies, inq; ingressu anni consequeretur, transfegerit.

XLII.

Subjungit Iureconsultus, nihil interesse, utrum de alimentis transigentes, libertini sint, an ingenui; Satis locupletes, an minùs.

XLIII.

Absit verò, ut, quod tamen Fulgosius, Guilielmus de Cun. & And. Tiraquellus, quamvis dubitanter, fecere, Vlpianum sibi, ἀντιφαινή, ἢ ἀπόστασις consueudo, minùs constituisse, quodq; ut modò annotavimus, de transactione, locupleti etiam, Prætoris non auctorante, inhibendâ consignarat, in sequentibus dicamus reuocasse, quando scribit: Relictâ homini honestioris loci quantitate annuâ, transactionem de eâ, absq; auctoramento Prætoris, rectè fieri.

XLIIII.

Præsupponit enim ibi Iureconsultus, quod probè Cuiacius, & Clariss. vir D. Ioh. Dauthius aduerterunt, quantitatem istam non iure alimentorum, verùm loco annui salarij, seu honoris causâ esse concessam, sive legatam. Quo præsupposito dato, ut, textu accuratè inspecto,

speculo, dandum omnino est, ἡ δὲ δαυτινομία detecta, omnia
ad συμπεργίαν, καὶ συμφωνίαν suavissimam erunt redacta.

XLV.

Si tamen ususfructus, vel modicus, non honoris, sive
salarij loco sit relictus, themati nostro locum fore autu-
mamus, atq; ita minimorum quoq; in presenti disceptatio-
ne, contra Cordubam de Lara, & Ioh. Pet. Surdum, ra-
tio erit habenda.

XLVI.

Enimvero cardo τοῦ ἐξελθῆναι Marciani precipue
in hoc vertitur, ut apud Praetorem, siue Iudicem, cuius
auctoritate, & approbatione transacturi niti debent, de
tribus cumprimis disquiratur: Scilicet, de CAUSSA
transactionis: Dein de MODO eiusdem: Et deniq; de PERSONIS
transigentium. His enim probe perspectis, an transa-
ctio alimentario profutura sit, absq; negotio intelligi
poterit.

XLVII.

Primo requisito innuit M. Antoninus, transactio-
nem sine CAUSSA à Magistratu non admittendam. Cumq;
plures caussae, dum semper natura novas deproperat edere
formas, emergere possint, illas Praetoris arbitrio exami-
nandas, & dijudicandas committit.

XLVIII.

Gnarus autem, exemplis rem illustrari, nec illa regu-
lam restringere, quatuor, quae Praetori ad probandam
transactionem suadeant, adducit: Videlicet, si heres, &
alimentarius diuersa domicilia habeant: Si alter horum,
sedem rerum, atq; fortunarum suarum alio transferre ha-
beat: Si alimentario necessitas presentis pecuniae expen-
denda incumbat: Et postremo, si à pluribus heredibus, vel
alijs quibuscunq; alimenta debeantur, & legatarius mi-
nuatim singulos conuenire, victumq; ostiatim quasi con-

quirere tediosum, atq; difficile sibi fere, coram Praetore contestatum reddat.

XLIX.

Secundum requisitum, ex quo transactionis fidem, quo illa proposito instituat, colligere habemus, in MODO consistit. Aestimabit ergo Praetor modum transactionis, id est, quantitatem, quae loco alimentorum in stipulationem deducitur. Illa enim, monente Steph. Forcatulo, maior omnino, si cum puero, vel iuvene, validis: atq; si cum valetudinario, siue etiam sene decrepido, mox animam exhalaturis, transigatur, constituenda est.

L.

Tertium requisitum Oratione expressum, exhibet considerandas PERSONAS, LEGATARIUM, cui alimentis necessarijs provisum, & HEREDIS, vel cuiuscunq; alterius, quem onere praestandorum alimentorum gravatum testator voluit.

LI.

Circa honoratam personam in considerationem venit, utrum illa sit frugi vita, quae sibi, vel legato isto deficiente, ad sustentationem sufficere valeat: An sequioris (ita enim contra Egvinarium Baronem, Fornerium, & Franc. Duarenū cum Excellentiss. Cuiacio & Franc. Modio, legendū arbitramur) alimentis unice inhians: Circa gravatam, cuius sit illa propositi, & opinionis, numquid etiam in lautā, & benè auctā rei familiaris parte posita. Hec enim, quo animo transactio adfectetur, indicio erunt.

LII.

Præterea transigens de alimentis, non videtur de habitatione, & vestiario transegisse. Rationem ex logicis suppeditat D. Gæddæus, quod genere simpliciter, & indefinite posito, quamlibet indistinctim poni speciem necessarium non sit: Alteram huic decisioni inservientem supra assignauimus.

Inte-

LIII.

Integrum quoque erit legatario, vel de alimentis universis, vel de quibusdam tantum, alijs, pro lubitu, & voluntate summâ retentis, alijs remissis, cum cognitione magistratus, transactionis negotium celebrare. Notum enim, uti contractus ex posteriori, necessitatis sunt adstricta: ita, ex priori, regulariter, arbitrij, & voluntatis eos esse soluta.

LIV.

Insuper requirimus arbitratum Iudicis, si unus, vel plures agrum in alimentorum causam, supremâ voluntate relicto distrahere, pignus eorum nomine datum liberare, vel etiam ipsimet legatarij inter se, de alimentis, non interueniente extraneâ personâ, transigere voluerint.

LV.

Dictum fuit iam sæpius, transactionem, inconsulto Pratore, esse irritam, nulliusque momenti. Si tamen de lite (de quâ idem, quod de alimentis, circumventionis submouenda gratiâ iudicium constitutum est) alimentorum transigens, pecuniam alimentario presentem numerauerit, num illa condici possit? Dubitari contigit.

LVI.

Equidem Iuris constituti, alimentarium pecuniam exsolutam, si debito alimentorum minor sit, retinere, & reliquum nihilominus petere: Si equalis, eam in illa imputare posse: si vero maior, quod summam debitam excedit, conditione indebiti agenti restituere, oportere, esse censemus.

LVII.

Quod si alicui, & alimenta, & legatum purum ex testamento simul debeantur, isque ad transactionem, sine Iudicis consulto, conuolando, à debitore suo quicumque aris, illius nomine, acceperit, quod solutum est, trans-
actione

actione rescissâ, prius in legati, presenti die debiti, reli-
quum in alimentorum causam, imputandi facultatem
habet.

LVIII.

Porrò disceptatio Prætoris necessaria est, non tan-
tùm, si alicui numus: verum etiam alia legata (num an-
nua, menstruâve sint, parùm referre putamus) in fru-
mento, oleo, ceterisve rebus, quarum in victu ratio ha-
beri solet, consistentia deferantur.

LIX.

Ità suam magistratus auctoritatem, si quis, ut, quod
in numis debebatur, in generibus, vel contrà, die, &
modo à testatore præscriptis, immutatis, siue etiam species
alias pro alijs, consequeretur, transfegerit, impertiet.

LX.

Nec minùs, si alimentarius, ut, quod certo loco erat
exsoluendum, alio, quodve à pluribus fuerat promissum,
ab uno, vel etiam, diuerso debitore nancisceretur, transi-
gendo fuerit stipulatus. Has, & similes conuentiones
Iudex ratas habebit, si eas legatario expedituras cogno-
uerit.

LXI.

Deniq, si in causam habitationis commoda, certa
quantitas alicui sit legata, transactio, ut loco illius, habi-
tatio: Vel per contrarium ratione habitationis, definita
eris quantitas, in causam tamen habitationis, alimenta-
rio ab herede prestaretur, inconsulto Prætorè, celebra-
ta valebit.

LXII.

Decisionis ratio in eo consistit, quòd nullum hisce in
casibus legatarij incommodum, cuius auertendi gratiâ D.
Marcus coram Senatu sibi agendum esse fuit arbitratus,
nullum vltimæ testatoris voluntatis præiudiciũ vertatur.

Prædi-

Prædicta autem omnia, quæ de annullandis transactio-
nibus, Iudice non consulto, factis, in medium attuli-
mus, procedunt, si illa fuerint nuda: Sin iurisiurandi reli-
gione sint stabilita, quod supra, th. 12. in quâ commodioris
loci, & doctrina gratiâ, de renuntiatione, inspectionis
testamenti, & alimentorum, consulto iunctim egimus, à
nobis fuit propositum, probamus.

LXIV.

Et hætenus quidem de causâ, & modo transactio-
nis super controuersijs ex testamentis proficiscentibus, si-
cut & legatis alimentis instituta, nec non personis transi-
gentibus edisseruisse sat esto: Restat, ut per Causâ con-
ueniente, de Iudice competente, à transacturis ad eundem,
eiusq; officio paucis dispiciamus.

LXV.

Partium ergo transigentium officium est, summis eni-
ti viribus, ut, quod aliàs semper fieri debet, negotium Iudi-
cis competentis notioni committatur; Qui quomodo digno-
scatur, latius persequi, huius loci, & instituti nostri ratio,
ne τω ἀγέγυοις instituisse videamur, non patitur.

LXVI.

Iudex competens aditus, unice in hoc, vigore Consul-
ti Senatus incumbat, ut prædicta requisita sibi ob oculos
posita habeat, nimirumq; ad Causam: Dein ad Modum:
& deniq; ad Personas transigentium, quæ tria ipsum, quâ
fide transactio petatur, edocebunt, attendat.

LXVII.

Non mirum igitur, transactionem, ex sententiâ Vl-
piani, si Prætor in prædicta tria requisita iunctim non in-
quisierit, sed vel causam, vel modum in transactione ob-
seruandum, vel personas transigentes neglectui habuerit,
nullius esse momenti, alicui videri debet.

C

Etenim

LXVIII.

Etenim, ut Iureconsultus eloquitur, Praetori res ista querenda commissa est, non neglegenda. Et praeterea à τρωπία, siue omissionem formae, legibus praestituta, actum ipsum annullare, plus quam manifesti Iuris est.

LXIX.

Sed nec mandare ex causa transactionis alimentorum, iurisdictionem suam, Praetorem, vel Praesidem Provinciae posse, verius est. Quae enim specialiter, lege, vel Senatusconsulto (ut hoc loci, de transactione alimentorum, cognitio) vel constitutione Principum tribuuntur, mandata iurisdictione in alium non transferuntur.

LXX.

Postremo adnotandum restat, quod, alimentis à fisco debitis, si qui olim de illis transigere concupiverint, in Provincijs Procuratorem Caesaris, in urbe Praefectos aerarij, quibus & aliarum causarum fiscalium cognitionem fuisse demandatam novimus, competentes Iudices habuerint. Tantum etiam de Iudice, eiusq; partibus, & suscepta nostra uniuersa tractatione.

AVCTARIA.

Quae Agnatorum collateralium Iure feudali communi, sit successio, vulgò notum est: Diversum Saxo ab illa, eos nimirum, tam à noui, quam antiqui, quod rectè D. Hartmannus Pist. & Signorolus de Homodeis monuere, feudi acquisitione, nisi simultaneae (per quam beneficium coniunctae, vel simultaneae, ut vulgò, quamuis minus concinnè, loquuntur, manus, intelligi volumus) investiturae, quae idcirco, posthabita sanguinis necessitudine, fons, & origo, omnis illorum successione dicitur, remedio sibi probe

probè prospexerint, penitus esse exclusos, constituit.

I I.

Vtrum verò simultaneè inuestiti, equaliter, an secundum graduum prerogatiuam, ad feudum admittantur? plurimis intricatissima, nec sine causâ, visa fuit questio. Quid ergò de illâ habendum? Certum esse putamus, non sanguinis proximitate, sed solâ Domini gratiosâ beneficentiâ, & quæ inde processit, simultanea inuestiturâ attentâ, nec graduum, quorum computatio propinquitatis discernendæ gratiâ fuit recepta, vllam duci posse rationem. Quocirca nisi clausulæ insertæ aliud svadeant, equali beneficij successione, remotiores cum proximioribus Agnatis gaudere concludimus.

III.

Numquid autem, quibus simultaneæ inuestituræ gratia facta est, illius renovationem, casibus consuetis, petendi necessitate erunt obstructi? Omnino. Quamvis enim nihil possideant, & inuestituræ renovatio possessori, ad quem velut emolumenta: ita quoq; onera feudi spectent, fas est, solum incumbere videatur: Contrarium tamen & maiori ratione nititur, & constitutione peculiari firmatum, viridi obseruantia custoditur.

IV.

Deniq; pro coronide auctariorum, augustissimum illud ζήτημα: Vtrum filius naturalis, natalium juri, vi, virtute, ac mediantis thori conjugalis favore, restitutus, feudi paterni capax existimandus sit? μετὰ βληματικῶς excutendum proponimus.

F I N I S.



S Y M B O L.

Ex lib. Exod. c. 15. vers. 2. Psalm.
118. vers. 14.

Fortitudo, & exultatio mea, I E H O V A,
qui factus est mihi in salutem:
Quem trepidabo?

ΑΥΤΗ ΕΟΛΥΜ ΜΗΜΟΣΥΝΟΝ:

In rebus, mentem, nec cristas tolle, secundis:
Rebus in aduersis nec tibi finge metum;
Possit in articulo qui res mutare secundas,
Possit & aduersas: ESSE, MEMENTO, DEVM.



Leipzig, Diss., 1593/1619

ULB Halle


3


004 954 793



V. 17







B.I.G.

Farbkarte #13



EGALES
 Cum hi. 8. ff. de
 . C. cod. tit. ibi-
 atis,
 TIONE
 MENTARIA-
 LEGITIMA,
 1598
 RI ADE,
 micorum præiâ,
 TISSIMI, AT-
 SS. VIRI,
 ROMANI,
 IN FLOREN-
 Profefs. Publ.
 uerenter colendi,
 a ICTorum, publi-
 et
 EMANVS
 ENSIS.
 ebat Anno 1598.

4
4
1

2 1/2

31.

